

Q. D. B. V.
AD NOVELL. CVII CAP. I
OBSERVATIO

23
B
1772 5

PRAESIDE
D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRECONSVLTORVM ASSESSORE EIVSDEM
QUE HOC TEMPORE DECANO

DIE X IVNII A. S. R. CICLOCCCLXXII

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB AVCTORE

IO. GEORG. GVILIELM. SPANGENBERG

SYLA HENNEBERGICO

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A TYPIS

26 AD NOVEMBRIUS

IOANNI GOTTLIEB
SPANGENBERG

IC

P A T R I O P T V M O

S V M M A P I E T A T E C O L E N D O

D. D. D.

FILIVS OBSEQUENTISSIMVS

IO. GEORG. GVILIELM. SPANGENBERG

JOANNI GOTTLIEB
SPANGENBERG

16

PATRIOTAMO
SUMMA TITULATÆ GOTTSINGO

GEORG GOTTLIEB SPANGENBERG

Nov. CVII. C. I magnam praebuit acutissimis viris differendi copiam, quorum quidem dissensiones ponderare accuratius nunc iuuat. Quae litem mouerunt verba, haec sunt:

Si tamen et uxori aut extraneis personis aliquibus voluerit relinquere legata, aut fideicomissa, aut libertates, et haec propria scripta manu dicataque a testatoribus coram testibus, quoniam omnia consequenter in dispositione postea ipsi et scripsierunt et volunt valere, sunt firma: nihil minuenda eo, quod videantur in charta scripta, reliquam obscuruationem testamentorum non suscipientia: sed hoc solum immutetur, quod eius manus et lingua habet omnem virtutem chartae praebitam, aut secundum versionem, quae praefat, Hombergianam:

Si tamen uxori vel extraneis quibusdam personis, legata vel fideicomissa vel etiam libertates relinquere vult, et illa propria manu scripta sunt, atque testatores coram testibus dicant, se omnia in testamento postea scripsisse et valere velle, firma sunt nullo modo ea de causa infirmantur, quod in chartis scripta videantur, nec reliquas testamentorum sollemnitates habeant: sed in eo solum differant, quod dextra et lingua eius omnem vim chartae praebuerit.

Legitur coram testibus, et in horum numero definiendo versantur hominum doctorum disceptationes. Alii enim septem, alii quinque, alii duos exigunt, immo sunt qui putent, quamvis nulla coram testibus dictio aduenirer, nihilominus deberi extraneis legata in parentum inter liberos testamento priuilegiato relicta. Quae quidem diuersae opiniones originem suam debere videntur modo nimiae liberalitati, qua nuncupatiuum illud coram duobus testibus parentum te-



stamentum iuri Romano ad fingerent viri docti*), modo neglectae diuisioni testium, secundum quam omnes aut sollemitatis aut probationis causa adhibentur. Quodsi enim ita rite distinxeris, et naturam testamenti scripti privilegiati bene consideraueris, difficile non erit intellectu, cuiusmodi testes id admittat. Recenseamus vero singulos opinionis auctores, antequam plura addamus, et in nostra dicenda periculum faciamus.

§. I.

*) Mirum sane est, ab omnibus fore, et qui quotidianam, et qui Themidem venustiorem colunt iuris Romani interpretibus, hoc testamentum coram duobus testibus nuncupatum haberi pro rato, cum tamen non solum principiis eius maxime aduersetur, sed et ne vllum caput quidem ad hanc opinionem stabiliendam profieri possit. Ad quas enim vulgo prouocant leges, vel plane de eo silent, vel de solo scripto testamento agunt. Nec l. 12 *nr.* de test. nec l. 20 §. 3 *nr.* fam. ercif. nec l. 18 C. inoff. testam. nec l. 16 C. fam. erc. nec l. 26. eod. nec l. 21 C. de testam. nec Nov. XVIII. c. 7 nec tandem, in quo doleo confilos esse I. Schilterum et P. a Ludwig. Nov. CVII. c. 1, quidquam probat. Hoc enim Nov. Capite sibi nobisque persuadere studuerunt, testamentum scriptum absque testibus disiungi a testamento nuncupatio coram duobus testibus facto. Qua ratione videamus. Dicitur in d. C. *Et haec propria scripta manu dictaque a testatoribus coram testibus.* Hoc DICTAQVE, quo

graeca verba λεγομένα τι exprimuntur, disiunctive intelligunt, ac si dixisset Imperator: et haec si vel propria manu scriperint, vel coram testibus dixerint. En testimonium nuncupatiuum, dicas, si velis, ingeniosissimum! Particulam illam τις, doctissimis graecae linguae interpretibus consentientibus latinam que exprimere, non disiungere, sed copulare, atque ab Hombergkio nostro recte translatum esse per atque, pluribus docet Perill. de Puffendorff in obs. Iur. Vniu. II. 31. Sed largi simus, concedamus, interdum disiunctive forte accipiendum esse illud τι idemque significare quod latinum ve, profecto huic unicae syllabae et tam ambiguae, nouam speciem testamentorum privilegiatorum, cuius nullus alias totius Iuris Rom. locus meminit, superstruere, summae temeritatis est. Ipse Imp. initio Nouellae laudatae his verbis: *Quid enim sic proprium est legum sicut claritas, maxime super defunctionum dispositionibus, luculenter significat, hic perspicuitate opus esse maxime*



§. I.

Martinus et Accursius, ut ad omnem ultimam voluntatem, ita quoque ad legatum in testamento scripto priuilegiato parentum extra-neo relinquendum, septem testes adhibendos esse contendunt. Caeu-adsentiaris, ne plus petendo caussa cadas cum illis. Huic enim opini-
nioni obstat l. 8. §. 3. C. de Codic., qua in omni ultima voluntate
excepto testamento, quiunque testes vel rogati vel fortuiti sufficiunt.

§. II.

Illis non minus vituperandi hi sunt, qui contra clara Nov. verba legatum-rite relictum esse tradunt, quamvis coram testibus nulla di-
ctio accesserit, aut qui ut sibi concilientur verba legis, illud *λεγομένων* disiunctio intelligant et ita alternativum sensum extorquere student,
eoque ipso patrem absque omnibus sollemnitatibus in scriptis testari,
coram duobus vero testibus supremam voluntatem enunciare posse
consent, ac in utroque testamento, praecipuis testibus haud adhibi-
tis, extraneis personis iuste legare volunt. Cuius sententiae auto-
res Schilterum ^a) et Petrum a Ludwig ^b) notauiimus supra, contra
Gilkenium ^c) autem et Richterum ^d), qui ne hac disiunctione quidem
vtuntur, et tamen a confessione coram testibus patrem liberant, non

A 3

ram

maxime. Quo enim capite ex insti-
tuto de imperfectis parentum testamen-
tis constituerat, eo distinctius certe
disiunctionem rerum diuersarum ex-
pressisset et plura saltem de nuncupan-
do testamento coram testibus verba fe-
cisset. Ait: *quoniam omnia confe-
querent in dispositione posita ipsi et
scriperunt et volunt valere, i.e. et co-
ram testibus professi sunt se velle va-
tere, nihil minuenda eo, quod videan-*

*tur in charta scripta, sed hoc solum
immutetur, quod eius manus et lingua
habet omnem virtutem chartae pree-
bita m.*

a) Exerc. ad n. XXXVIII. §. 124.

b) In den Hallischen gel. Anzeigen
T. I. n. 27.

c) ad l. 21. §. ex imperf. C. de testam.
n. 35. seqq.

d) Decis. XXVIII. n. 89.



tam argumentis pugnare quam nudis legis verbis vti necesse est. Quibus enim Richterū suam opinionem stabilire nititur praeiudiciis, ea parum prosunt. Nam in altero mentio sit duorum testimoniū, coram quibus dispositionem suam scriptam defunctus confessus est, et alterius ratio decidendi ex l. 8. §. 1. C. inoff. test. j. l. 23. de fideic. petita, in eo quaerenda est: *dass die Erben denselben (ultimo voluntatem) agnosciret, beliebet, desselben Inhalt beobachtet, die Theilung darnach angestellt, etliche Legata albereit abgetragen, vnd die andern gleichergestalt abzustatten versprochen, auch die Glaeubiger end Legatarios, um Gedult und Stundung gebethen und die Schulden eingemahnt.*

§. III.

Grauioribus rationibus nituntur, qui l. 8. §. 3. C. de Codicill. superstruunt de quinque testimoniis adhibendis sententiam suam, ex quibus Zoesium ^e), Brunnemannum ^f), Stryckium ^g), Heineccium ^h) et qui illis omnibus exactius et curatius in rem inquisuit, Dom. de Puffendorff ⁱ) nominasse sufficer. Nec ego quidquam opponere mihi summissem, modo testes hic sollemnitatis caussa vocari probassent, modo mihi persuadere possem, speciei priuilegiatae, cuiusmodi omnino esse oportet legatum in testamento priuilegiato paterno extraneo relictum, posse applicari regulam iuris communis, quae manifesto ineft l. 8. §. 3. C. de Codic. Quam ob cauſam non possum quin illis adſentiar, qui duobus testimoniis Nouellae satisfieri arbitrantur, quorum fide probationem plenam perfici satis conſtat. Cui quidem sententiae adſtipulatur Gothofredus ^k), Welenbecius ^l), Rittershusius

fius

e) Ad Tit. ^m. qui testam. fac. poss.

h) Elem. Iur. Ciuit. sec. Ord. Inst.

f) Ad Avth. Quod sine C. de Test.

§. 509.

g) de Caut. Testam.

i) Obf. Iur. Vniu. II. 31.

k) ad Nou. CVII. c. I.

l) Conf. 71. n. 45.

fius^{m)}) eique confirmandae praeiudicium assert Carpzouiusⁿ⁾). In eandem magis inclinat Bergerus^{o)}, quamvis Brunnemanno praeiudicia suppeditando aliquantum fauere videatur, quin ipsum forum hancce amplectitur sententiam. Sed vti ego, quo minus quisque suo ster arbitrio, non impedio, ita quoque ab omni partium studio alienus, non tam auktoritates quam potius rationes aestimo, meam qualemcumque ingenue propositurus sententiam.

§. IIII.

Ante omnia vero, cum de numero testium recte definiendo litigatur, in regulas inquirendum videtur, secundum quas eorum numerum et multitudinem paullo certius describere possumus. Omnes autem testes, qui vnquam in iure nostro obueniunt, adhibentur aut sollemitatis aut probationis gratia, qui dum maxime inter se differunt, vna eademque regula comprehendendi non possunt. Si de testibus quaeritur, quibus iudici fides et numerus non adiectus, omnino regula agnoscenda est l. 12. n. de test. et per consequens binarius subintelligendus. Quodsi vero, qui sollemnitatis caussa desiderantur, testium numerus obuenerit haud definitus, me quidem vniuersalis regula later, quae in omnibus negotiis rite perficiundis vnicet sit obseruanda. Exstat vero regula specialis, quae ad omnem vltimam voluntatem, excepto testamento, testium vocandorum numerum et quinarium quidem praescribit in l. vlt. C. de Codicill. Testes vero, de quorum numero quaeritur, cum ad speciem vltimae voluntatis legatum scilicet requiruntur, facile, quot corum sint necessarii ad id cum effectu relinquendum, adparebit, si et legatorum, et testamenti, in quo relicta dicuntur, et testium naturam consideraueris. Profecto enim obscurum haud esse potest, questiones, vtrum sollemnitatis caussa ad legatum relinquendum re-

qui

^{m)} ad Nou. P. VI. c. II. 3.

^{o)} Resp. I. 256. Oecon. II. IV. 6. 5.

ⁿ⁾ P. III. c. IV. d. 20.



quirantur, an ad relictum legatum probandum? et utrum quinque subintelligantur, an duo? esse easdem. Quodsi itaque probauerero, testes ad legatum in testamento paterno privilegiato extraneo relinquendum, sollemnitatis causa non posse vocari, vltro sequetur, vt duo sufficiant.

§. V.

Nuncupatiuum testamentum paternum privilegiarum iure Romano exulare certum, nostro vero capite ne verbulo quidem eius mentionem fieri, certissimum. Parentes vero dum liberis suis bona reuinquent suamque voluntatem testamento declarant, testamentum facere praecipuo priuilegio munirum, idque a nuda diuisione paterna ita differre, vt huic quidem inherendum sit, nihilo tamen secius successio ab intestato locum habeat, vel dupondiis notum est. Et in huiusmodi testamento legatum a liberis extraneo conseruari iubet Imp. d. c. I. Nou. CVII, si pater ipse scripserit, et coram testibus dixerit, se scripsisse, et velle valere, aut ut verbis Cuiacii ad d. Nou. vtar, holographum si fuerit testamentum, et testibus palam nuncupatum. Quamvis itaque largiendum, quod pater testator sola scriptura legataris extraneis nihil praebat utilitatis, nisi quae scripserit legata, etiam coram testibus pronunciet, et ita tam manu quam lingua animata suum testetur, tamen hac coram testibus nuncupatione, nec naturam ipsius testamenti priuilegiati mutari, nec ea facta priuilegiatum scriptum esse desinere, res ipsa loquitur. Quodsi itaque probauerimus ex eodem testamento, quae legata sunt extraneis, deberi, mox intelleges, testium sollemnitatem ad legatum aequae non posse requiri ac ad ipsum, ex quo descendunt, testamentum.

§. VI.

Antequam Nou. nostram Iustinianus constituerat, legata in imperfecto parentum testamento extraneis relicta inutilia fuisse, argu-

mento

mento est l. 26. fam. erc. et l. 21. C. de testam. Parentibus tamen licuisse legata secundum ius commune valide relinquere in codicillis rite aut seorsim confessis, aut suis inter liberos testamentis adnexis, negari nequit. *) Nostro itaque capite, quo in testamento scripto parentum priuilegiato, extraneis a liberis legata custodiri iubet Imperator, si in codicillis coram quinque testibus sollemnitatis caussa adhibitis, relicta subintellexisset, et ita legata a testamento sciunxisset, resque diuersas diuerso quoque iure simul et coniunxisset et separasset, ridiculi et stulti quid egisset, nota et permissa specie nouitatis iterum patefaciendo quasi permittendoque. Sed ex ipsis verbis satis adparer, antiquis legibus derogari, deque eiusmodi legatis ea, quae iure communi erant recepta, non denuo fanciri, sed quae ex testamento priuilegiato valeant, ea ipso priuilegio esse satis secura. Expendamus ipsa verba: *Talia legata, quoniam omnia consequenter in dispositione posita ipsi parentes et scripsérunt et volunt valere, sint firma, nulloque modo ea de causa inserventur, quod in chartis scripta videantur, nec reliquias testamentorum sollemnitates habeant.* At ipso iure valida, his persuasionibus, si quid video, nequaquam egent, sed firma sunt, quia ipso iure consistunt. *Testamentorum autem non legatorum sollemnitates habeant, quodsi legata seorsim a testamento i.e. in codicillis relicta subintellexisset, atque ad ea extraneis relinquenda praecipuas legatorum sollemnitates adhibendas duxisset, id certe manifestis verbis statuere debuisset, idque eum facturum fuisse tanto confidentius affirmo, quo certius de Iustiniani studio iura distincta et certa constituendi sum persuasus.*

§. VII.

Ex testamento itaque paterno priuilegiato legata debentur extraneis in eo relicta, modo ipse pater testator scripsérunt et confessus

B

fue-

*) Conferas quæsto L. 23. C. de fideic.



fuerit coram testibus. Hos vero testes sollemnitatis caussa adesse non posse, eo minus dubitandum, quo magis ex opinione contraria nascuntur dogmata prorsus absonta. Hanc si quis assumere vellet, sequeretur,

I) Ut Iustinianus permisisset, quod nunquam prohibitum erat. Eodem tempore, quo legata in testamento paterno imperfecto extraneis relicta pro irritis habebantur, licuisse parentibus secundum ius commune a liberis legare, supra obseruauimus. Fingas vero, quinque testes sollemnitatis caussa ad eiusmodi legatum relinquendum adhibendos iussisse Imperatorem, quid quaeso aliud hoc esset, quam tradere superflua?

II) Voluisse Iustinianum huiusmodi legata conservari tanquam priuilegiata ostendimus. Ea vero voluntas suprema dicitur priuilegiata, quae ordinaris est soluta sollemnitatibus. Quodsi quis fibi persuaderet, testium sollemnitatem requiri ab Imperatore, nonne iure communi codicillorum iam valerent, quae ex priuilegio custodiri iussisset? Forsttan cum III. de Puffendorff quandam sollemnitatem remissam esse, testium scilicet subnotationem, nequaquam vero ipsam testium sollemnitatem remissam censere malueris. Sed subnotationem solam si remisisset Iustinianus, fere fauoris huiusmodi legatis praestisset nihil, quia numerus testium saepe molestiam creat, eorum vero subnotatio leuissimum est negotium, ut taceam, cui adfuerint quinque testes leganti, nec, ut quoque subscriptant, curauerit, eius negligentiā priuilegio aliquo parum dignam esse videri.

III) Quibus altius insider existimatio legumque Romanarum reuerentia, difficile erit persuasu, plus sollemnitatis in legatis quam in ipsis heredum institutionibus exigi. Noli distinguere inter liberos et extraneos et obuertere, illud testamentum priuilegiatum tantum esse

esse inter liberos, neutquam vero quoad extraneos. Id quod verum est, si de institutionibus quaeritur, at cum in principalibus, puta institutionibus consilium, quod pater cepit, optimum presumatur fraudisque deficere metus credatur, idem et in partibus accessoriis legatis scilicet intelligendum, maxime cum supra probauimus, ex eodem testamento liberos venire heredes, qui iussa parentum supradicto obsequio exsequi, et quae testator praecepit legata, promti praeferre debent.

IV) Idem testamentum partim priuilegium, partim minus priuilegium dicendum foret, ratione legarorum ex iure communi, ratione institutionum ex iure singulari diiudicandum.

V) Statuendum esset, ut ad idem testamentum scripti et nuncupatiu*m* virtutes requireret legislator sapientiae laude illustris. Ex testamento enim paterno inter liberos scripto deberentur legata extraneis, hoc vero respuit testium sollemnitatem, quae solius nuncupatiu*m*, aut minus priuilegiati nota est, conflare*m* itaque scriptum testamentum nuncupatiu*m* speciem praese*m* ferens, quoad institutiones per solam scripturam, quoad legata vero per testes condendum.

§. VIII.

Tandem, quod caput est, testes, qui sollemnitatis cau*s*sa vocantur, ad actum condendi adhibendos esse eoque finito non posse adhiberi, manifestum est. Actus vero testamentum paternum scriptum priuilegium condendi simul finitur ac scriptum est, et coram testibus nuncupatio nostro Nov. capite scripti iam testamenti requiritur, ideoque sollemnitatis cau*s*sa fieri non potest. Neque existi-



mandum, actum testandi perdurare usque ad nuncupationem coram testibus, eaque demum finiri. Testamentum enim, quod in praesenti tractamus, sola patris, quod iam diximus, scriptio perficitur, et iustum dicendum est, licet illa coram testibus professio aduenirer nunquam, quippe quae testamenti substantiam nullo modo afficit, cuiusque defectu solummodo efficitur, quo minus legata exigi possint. Caue vero, ne duplicem actum fingas, unum testamenti condendi, alterum relinquendi legati.

§. Vlll.


Quae si quis bene ponderauerit, vix dubito quin in nostras partes transeat, sibique persuasum habeat, testes ad eiusmodi legatum relinquendum sollemnitatis causa non posse requiri, eosque probationis causa adesse oportere, ideoque duobus Nouellae satisficeri. Restat, ut hanc sententiam nostrae Nouellae nequaquam contrariam, potius consentaneam esse monstrem, utque rationem addam, ob quam Iustinianus hacce coram duobus testibus professione prospiceret futurae probationi. Illud vero lubenter expediam. Dicitur: *nulloque modo ea de causa inservientur, quod in chartis scripta videantur, nec reliquias testamentorum sollemnitates habent.* Nulla hic requiritur sollemnitas nisi manus, qua in chartis scripta sint, quea sola legatis aequo ac testamento, in quo statuuntur, est necessaria, ut igitur reliquae sollemnitates testamentorum minus priuilegiatorum hic cessent, de manu testatoris modo constet. Pergit Imp.: *sed in eo solum differant, quod dextra et lingua cert.* Quid vero verat illud solum non referre ad differant, sed ad *dextram et linguam?* ita ut legatur: *sed in eo (praecipue) differant, quod dextra et lingua solum omnem vim chartae (praebendam) praebuerit, manus scilicet vim sollemnitatum, lingua probationis.*

Ad

Ad rationem quod attinet, quae probationi futurae inferuit, quaerenda ea videtur in necessitate probandi, legatarium quae premit, cum homines saepenumero sint nimis suspiciosi minusque sinceri. Fac enim, patrem inter liberos in scriptis absque omnibus testibus testatum esse, atque a liberis legasse extraneis, eum ex vita decessisse dictione illa coram testibus omissa, liberos inuenisse tabulas, aperuissse, reperiisse quoque legata sibi molesta extraneo relicta, haec vero nescire legatarios, quid ager gens lucri auida? Num facile credas, eos bona fide acturos, atque emolumenta aliis destinata et ingenue indicaturos, et libenter communicaturos esse? Vix haec mysteria euulgari sinent. Non vero solum ignorantia legatario, sed et scienti praeparata illa per testes probatione opus est. Sciat legatarius, testatum esse parentem sibique relictum esse legatum, experietur interdicto de tabulis exhibendis, exhibeant liberi tabulas quasdam, sed negent patris manu esse conscriptas, quid faciendum? Legatarius sibi legatum esse probare tenetur, et melius erit ad fidem testium confugere, quam lubrico sacramenti adiumento uti. Legatarius ipse de manu testatoris heredi pertinaci vix fidem faciet, nec liberi nisi de credulitate iurare possunt, quod tamen ad fraudes vitandas summopere cauendum erit. Quum alii liberorum fortassis dissidenteantur, alii non aequa. Solia restaré litterarum comparatio; quam vero satis abundeque occasionem criminis falsitatis dare cuiusque usum maxime circumscriptum esse, patet ex L. 20. C. de fide instr. et Nou. LXXXIII. cap. 7. Et sic sane intelligitur, cur scriptura patris sola sine testibus non sufficiat, quippe quae apud liberos occultata plane ignoratur, aut quae patris esse negatur, et sine testibus, quibus testator ipse scripturae veritatem confessus est, probari vix potest. Tandem praetermittendum haud est,



est, Justinianum, dum parentes in scriptis testari atque coram duobus testibus testamenta profiteri iussit, non solum fuisse legatariis, sed et liberis heredibus. Illis enim prospexit, ne malitiosa heredum auaritia patris voluntas dissimuletur lucrumque concessum eripiatur, hos vero ad praefationem legatorum non adstrictos esse voluit, nisi pater testator ea duobus testibus probandi legatariis copiam fecisset, qua quidem re etiam satisfecit *L. 23 C. de fideic. a Diocletiano et Maximiano latae*, quorum temporibus voluntas parentum inter liberos imperfecta, quoad extraneos admixtos, pro nulla habenda erat. Ita enim rescriperunt Stratonicus: *Si veritas vel sollemnitas iuris deest, nec amplexus parentis voluntatem, relicta dedisti, vel transactionis causa stipulantibus promissi, negotium integrum est, ad solutionem orgeri non potes.* Remissurum itaque sollemnitates eo magis veritati prospicere oportuit, et curare, ut futurae probationi subsidia suppeditaret, id quod praeficit Iustinianus, dum in locum testium sollemnitatis causa adhibendorum substituit eum numerum testium, quo iudici plena fides sit, eoque modo veritatem iudicij supremi ab omni fraude sartam testamque conservauit.



COLLO-



COROLLARIA

I

*In intellectualibus computationis arithmeticæ rationem haberi posse,
qualitatem testium quantitate sanari, quatuor suspectis plene pro-
bari vix est, ut mihi persuadeam.*

II

*Ratio capitinis XII Tabb. de tigno iuncto non soluendo, in sola
aequitate naturali ponenda, non vero a studio Xvirorum decus vr-
bis conseruandi repetenda videtur.*

III

*Alimenta actione in factum exigi, Stryckius opinatur, condicatio-
nem ex Lege competere ego quidem mallem.*

IIII

*Nego matrem, quae abuit infantem suis sumtibus, eos repetere
posse a patre supratore tunc, si animum de iis repetundis ex-
pressis verbis haud declarauerit.*

V An




An recte se habeat l. 7. §. 2. π. de Bon. poss. quippe manifesto contraria l. 1. π. de Bon. poss. fur. inf. dubitat Heinneccius in Elem. Iur. Civ. sec. ord. π. Illam recte se habere, patet ex l. 10. eod. huic non contrariam esse ex eo, quod utroque loco non de eadem, sed ibi de iuris ignorantia, hic de ignorantia facte agatur. Nec itaque opus est distinctione Struui in Euolut. Controv. proposita.

Quam Vinnius ad §. 11. Inst. de Excus. Tut. vel Curat. exhibet, huius §phi veram esse rationem, exinde cognoscere licet, quod excusatio ob inimicitias voluntaria sit. Nec obstat l. 3. §. 12. π. de susp. tutor.



Wittenberg, Diss., 1770-73
X 2283235



Q. D. B. V.

AD NOVELL. CVII CAP. I

OBSERVATIO

23
89
4

PRAE SIDE

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO
CVRIAEC PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRECONSULTORVM ASSESSORE EIVSDEM
QVE HOC TEMPORE DECANO

DIE X IVNII A. S. R. CICLOCCCLXXII

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B AVCTORE

IO. GEORG. GVILIELM. SPANGENBERG

SVLA HENNEBERGICO

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACAD. A TYPIS